

298,5


Progymnasium zu Andernach.

Jahres-Bericht

über das Schuljahr 1867—1868.

Strüder'sche Buchdruckerei und Buchhandlung in Neuwied.

9an
1 (1868)



Progymnasium zu Andernach.

Jahres - Bericht über das Schuljahr 1867—1868.

Von dem Rector der Anstalt

Dr. Rudolph Löhbach.

Voran geht eine Abhandlung des ordentlichen Lehrers Herr Heinrich van Bebber:

De Thucydidis ingenio brevis adumbratio.



Strüder'sche Buchdruckerei und Buchhandlung in Neuwied.



De Thucydidis ingenio brevis adumbratio.

Graecorum res gestas primi poetae epici memoriae tradiderunt, qui tamen, cum pulchritudini potius quam veritati narrationis consuluerint, historiae quo iure parentes, eodem corruptores possunt vocari. Poetas qui secuti sunt logographi, quamquam metri vinculis liberaverunt historiam, tamen in universum poesis indolem non potuerunt exuere. Haudquaquam enim primo muneri historici scriptoris, ut vera dicat, satisfecerunt; sed quaecunque vulgi rumoribus et poetarum carminibus in maius aucta erant, ea omnia nullo inter vera et falsa facto discrimine in libros suos receperunt. Etiam causalem rerum nexum et cohaerentiam prorsus neglexerunt, nec ut removerent indigna memoratu vel plane inepta quidquam curaverunt. Aptum vero ordinem et artificiosam compositionem ut quis assecutus sit, tantum abest, ut vix unus alterve his rebus operam dedisse videatur. Post logographos exstitit Herodotus. Egregiis is quidem virtutibus excellit, sed sua et aetatis natura impeditus est, quominus historiam ex omnibus partibus perfectam relinqueret. Quamquam enim veritatis studio et critica facultate superiores rerum auctores longe superat, tamen ne ipse quidem fabulositatis et credulitatis crimen effugere potuit. Nec ut a suis causis res derivaret tantopere studuit, quantopere decet historicum, sed proximas saepe naturae hominum et rerum insitas causas negligens ipsos deos humanis rebus immiscere solet. Compositio autem eius operis artificiosissima quidem est, quum diversissimae res uno atque arcto vinculo inter se coniunctae in unum quasi corpus coaluerint; verumtamen saepius, diutius ac longius a proposito digressus est, et tota eius operis descriptio minus historiae quam poesis naturae consentanea est. — Ad summum vero fastigium historiam provexit Thucydides, Herodoto subaequalis scriptor, qui non solum omnibus superioribus anteponendus est, sed etiam cum praecipuis omnium temporum scriptoribus de principatu contendere potest. Cuius ingenium ut breviter adumbremus, huius scriptiunculae finis est. Totam dissertationem, ut certo quodam atque apto ordine procedat oratio, in quatuor partes divisimus, ita ut primo loco fide dignum esse Thucydidem ostendamus, tum quomodo causas rerum explicaverit examinemus, deinde de arte, qua opus suum composuerit, postremo de dicendi ratione agamus.

Thucydides sibi conscius fuit, summam legem historiae esse veritatem. Itaque et suae aetatis levitatem conqueritur, qua homines falsas narrationes de rebus neque loci neque

temporis spatio remotis sine ulla inquisitione alii ab aliis acciperent,¹⁾ et antiquarum rerum auctores, qui ante eum exstiterant, graviter incusat, quod, ut mulcerent lectorum aures, multa inexplorata et fabulosa conscripsissent;²⁾ se vero voluisse affirmat, ut fabularum ornamentis sua historia careret, nec temere, quae a quolibet audivisset, retulisse, sed quae memoriae prodidisset, aut coram vidisse aut accurata disquisitione vera esse sibi persuasisse.³⁾ In ipsa autem rerum narratione maximam semper curam eum adhibuisse videmus, ut nihil a veritate deflecteret. Ubi cladem Atheniensium apud Syracusas acceptam describit, propter incertam lunae lucem, qua pugnatum esset, a neutris certum sibi cognoscere licuisse pronunciat;⁴⁾ copiae Thracarum gentium quantae fuerint, addito *ὡς λέγεται* commemoratur;⁵⁾ etiam in pugna ad Mantineam facta quot milites utrimque pugnaverint, accurate se exsequi non potuisse ingenue profitetur.⁶⁾ In prooemio, quamquam gravissima semper argumenta affert, tamen non dissimulat, antiquiores illas res ut plane ad certum redigeret, sibi non contigisse,⁷⁾ ob eamque rem in prooemio tam saepe *δοκεῖ μοι* et similibus verbis utitur. Veritatis studio noluit ex eo, qui tum erat, Mycenarum statu, quod quasi sponte se offerebat, argumentum ducere ad comprobandum suum de vetustissimo Graeciae habitu iudicium;⁸⁾ maluit enim veritati servire quam suae sententiae. Similiter alias quoque res, quae fere homines impediunt, quominus vera aut videant aut dicant, omnes hic a se prohibuit. Itaque, cum Graecus esset, noluit cum poetis et logographis antiquas popularium res gestas supra, quam verum est, exornare; sed non cunctatur dicere, veteres Graecos a barbaris nihil discrepasse, quaeque gessissent, vilia et parvi facienda esse. Inter Graecos autem ne iis quidem, quibuscum in vita stabat, favit in historia. Atheniensium avaritiam et iniustum in socios imperium non minus reprehendit, quam Lacedaemoniorum socordiam aliaque vitia. Quod civis Thucydides cum optimatibus faciebat, nihil id impedivit historicum, quominus solius veritatis partes sequeretur. In seditionibus, quibus tum universa prope Graecia perturbata est, tam nobilitatem, quam plebem turpissima quaeque et atrocissima patrasse narrat.⁹⁾ Etiam eas iudicii perturbationes, quae ex privatis offensionibus oriri solent, in historia scribenda Thucydides cohibere potuit. Nullo enim motu animi prodito paucis et plane tranquillis verbis suum exilium narrat,¹⁰⁾ nulla addita neque querimonia neque indignatione neque in quemquam accusatione. Ne in proximos quidem exilii auctores, Cleonem et Brasidam, ulla irae vel odii significatio. In Cleonem iniuriosum fuisse Thucydidem nemo facile probaverit, Brasidae vero egregias virtutes passim laudat. — Talis igitur est Thucydides, ut neque studio neque ira placidum et tranquillum de rebus iudicium perdat. Crimini huic quidem datum est, quod tristi cuidam rerum contemplationi nimis indulisset et quasi tristium rerum narratione gavisus esset: at quod in bello a Thucydide narrato multa tristitia et dira facta sunt, eius rei nulla culpa cadit in scriptorem. Nam omnino tristitia et infausta bella oblivioni esse tradenda, solus, opinor, Dionysius Halicarnassensis putabit. Verbis autem Thucydidem rerum tristitiam auxisse, sincera fides, qua non tam verborum speciem, quam rerum veritatem sectatur, vetat existimare. Qui vero acerbitatis eum insimulant, quod sine ulla significatione doloris et misericordiae etiam tristissimas res narravit, ii historiam vereor ne nesciant discernere a vita.

1) I, 20. 2) I, 21. 3) I, 22. 4) VII, 44. 5) II, 98. 6) V, 68. 7) I, 21. 8) I, 10. 9) III, 82. 10) V, 26.

Hominem ornat misericordia, historicum decet ut omnes omnino, ita hunc quoque motum animi sedare ac reprimere. Non minus aliud crimen a Thucydide propulsandum est, quasi in diiudicandis hominum moribus nimis severum et acerbum se praestiterit. Est sane vitiorum et pravitatum severus et acerbus hic iudex, sed et ipsis rebus, quas tradidit, haec eius iudicandi ratio comprobatur, et vicissim virtutes Themistoclis, Periclis, Brasidae aliorumque egregiis laudibus effert. Attamen ne in laudando quidem ultra veritatis terminos egreditur. Hac in re multum praestat multis scriptoribus, qui fere non posse videntur scribere, quin hunc illum virum ad ultimam sui generis formam speciemque redigant.¹⁾ Thucydides non ita captus est singulorum hominum admiratione, ut horum fulgore civitates et populi obscurentur; sed eodem immoto vultu, quo alia considerat, etiam ad maximos viros accedit: summa ubique et quae fere frigida dici potest tranquillitas tum iudicii tum orationis. — Eadem haec ab admiratione libertas etiam aptum reddidit Thucydidem, qui de antiquis rebus Graecorum, carminibus et rumoribus mirum in modum auctis, et de iis, quorum admiratio religione quasi sancita erat, de insolitis naturae eventis, oraculis ac vaticiniis integrum sibi pararet iudicium. Priscis temporibus Thucydidem falsum illum splendorem detraxisse, supra commemoratum est. Insolita naturae eventa non, sicut fere faciunt scriptores antiquitatis, ab ipsis diis repetit, sed ex legibus naturae explicare studet ac solem deficere non posse indicat nisi tempore novilunii,²⁾ lunam tempore plenilunii,³⁾ et aperte Niciam superstitionis crimine accusat, quod futurorum praesagia ibi reperiret.³⁾ Oracula denique ac vaticinia plane silentio praeterire non debebat scriptor, qui vere describere voluit illa tempora, quibus verecundia oraculorum nondum evanuerat, sed etiam magnam vim in hominum animos atque agendi rationem habebat. Non temere oraculis et vaticiniis hunc credidisse, eo intelligitur, quod hic illic ambiguitatis ea accusat; sin autem nec ea reticere voluit, quae re vera evenisse cognoverat, fidem eum iis habuisse inde non apparet, apparet autem, quanta sit eius in historia fides.

Virtutes, quas hactenus laudavimus, licet maximae sint et nonnihil adiuvent scriptorem, ut vera dicat, tamen non sufficiunt, nisi accedit industria quaedam animi et critica facultas, quibus scriptor rerum, quae narrandae vel describendae sunt, sibi paret veram cognitionem. Vere autem ut quis res cognoscat, eum efficere opus est, ut aut ipse res videat, aut quae ab aliis tradita sunt, audiat vel legat; quaeque ex his vera, quae falsa sint, disquirere debet. Ac multas quidem res ut coram videret, Thucydidem operam dedisse, ipsius verba docent.⁴⁾ Quae vero quominus ipse videret, loci longinquitate impediabatur, ea ut ab aliis comperiret, qui praesentes spectaverant, neque labori neque pecuniae pepercit.⁵⁾ Nec denique de priscis et temporis spatio remotis rebus, quae ipsum certiores facere poterant, neglexisse Thucydidem, cum aliae partes operis tum prooemium ostendit. In omnibus his rebus ut recte iudicaret et ex iis, quae ab aliis tradita accipiebat, quae minus probata quaeque plane falsa essent, reperiret, tum virtutes, quas supra laudavimus, tum acutum ingenium eum adiuverunt. Ingenii acumen maxime splendet in prooemio, in quo omnium primus illum quasi caecum acervum veri et falsi, quem congererant poetae et logographi, mira acie mentis disquisivit et qualia essent praeterita saecula, omnibus superioribus auctoribus verius iudicavit. Argu-

1) cf. Roscher Klio pag. 234. 2) II, 28. 3) V, 70. 4) I, 22. 5) Marc. § 20.

menta, quibus iudicium suum probare studet, ex ipsis rebus potius, quam ex poetarum et logographorum fabulosis narrationibus sumere solet. Ubi vero ad poetas ut recurrat cogitur, ex iis potissimum rebus argumenta eruit, quae tam in promptu erant poetis, ut qui esset sui temporis status, quasi fortuito eos prodidisse probabile sit. Ita e. g. ex eo, quod Homerus Graecos nusquam uno nomine Helenum complecteretur neque barbaros commemoraret, subtiliter colligit, poetam prodidisse, suo tempore nondum fuisse unum nomen, quod omnes Graeciae gentes comprehenderet atque a barbaris discerneret.¹⁾ At pluribus non opus erit ut demonstramus, crisin historicam egregie Thucydidem exercuisse et omnino veritatis muneri ex omnibus partibus satisfacisse.

Sed Thucydides non satis habet solas res vere narrare, etiam causas et rationes rerum explicare voluit. In prooemio quamquam brevissime prisca Graeciae historia adumbratur, tamen quibus causis et qua ratione Graeci ex primo naturae statu, ubi per maria et terras vagantes inter se latrocinabantur, paullatim firmas sedes liberiusque commercium inter se habere, regibus legibusque parere ac coniunctis viribus bella gerere coeperint, tam dilucide expositum est, ut quomodo alius status ex alio prodierit facile cognoscamus. Deinde causae belli Peloponnesiaci a quibus rebus repetendae sint, hae rursus unde et quomodo exortae succreverint, ac denique inimicitiarum quasi maturitas in bellum eruperit, perspicue explicatum est. Per totum denique opus ita semper narratio procedit, ut non solum, quae evenerint, legamus, sed etiam, quibus causis factum sit, ut evenirent, intelligamus. Longe hac ex parte praeposendus est Herodoto, qui non raro proximas causas negligens res ab hominibus gestas temere ad deos eorumque invidiam aut favorem refert. Nihil eiusmodi in Thucydide. Significat is quidem, quid verecundia deorum et rerum divinarum in homines valuerit, ipse vero suam pietatem et suam de diis et rebus divinis opinionem historiae noluit immiscere; sed suprema illa causa omnium rerum quid ad singularum rerum eventum contulerit, nusquam audens coniectare satis habet eas causas explanare, quae ex hominum, qui res gesserunt, naturis et conditionibus repetendae sunt. In his autem explicandis summo aditus est singulari quadam ingenii facultate, qua omnes rationes, quae sunt inter res et rerum auctores, penitus cognoscit et ita scit exponere, ut quae ingenii indoles, quae consilia, quae conditiones homines ad agendum impulerint, quid hominum virtutes, vitia, conditiones ad factorum progressum et eventum valuerint, luculenter perspiciatur. Attamen raro eas res suis ipsius commentationibus docere voluit, sed aut ipsam narrationem ita instituit, ut inter res gestas pelluceat, ex quibus fontibus manaverint, aut, ubi ampliore explanatione opus est, narrationi interponere solet orationes, in quibus principes viri suae quisque civitatis aut factionis causas agentes et ipsi et ii, quorum consilia probare aut improbare student, quales fuerint ad res tum suscipiendas tum gerendas, dicendo patefaciunt et omnes conditiones, quae consiliis utriusque partis aut adiumento aut impedimento fuerint, in contrarias partes disserentes iudiciis suis ex omnibus partibus examinant. Orationibus in historia ad hunc quidem finem primus Thucydides usus est. Qua in re totum ad publicae vitae consuetudinem, qualis erat illo tempore, quo de omnibus rebus gravioris momenti concionari solebant, se accommodavit et qua ratione re vera homines de rebus publicis agebant, plane

¹⁾ I, 3.

eadem agentes nobis ostendit, ut ipsi quasi deducamur in conciones illas et quantam vim habuerint ad commovendos hominum animos, praesentes sentiamus. Est tamen in eo aliquid, in quo possis offendere, quod Thucydides conciones ab oratoribus habitas non immutatas tradidit, sed suis verbis et sententiis infectas, ut pro iis, quae vere ab oratoribus dicta sunt, verba et sententias saltem partim a scriptore ficta legamus. Sed fictionis non deest iusta causa. Nam ut omittamus, quod ipse Thucydides affirmat, se ad universam sententiam vere dictorum quam proxime accessisse, ad verbum vero ne potuisse quidem ea transscribere,¹⁾ „ea omnino harum orationum ratio est, ut magis ad compositionis artem quam ad ipsum rerum complexum pertineant, chorisque tragicorum consimiles non ipsam actionem, sed quomodo rerum causas atque eventus animo conceperint auctores, expriment.“²⁾ Per se igitur non improbandum est, si scriptor in hac re licentiam quandam sibi assumit. Quod in eo periculi est, ne scriptoris potius quam dicentis animi indoles ex orationibus redoleat, id egregie Thucydides evitavit. Etenim nemo fortasse unquam melius quam Thucydides ex cuiuscunque hominis ingenio atque animo scivit loqui. Ubi Archidamus dicit, germanum Spartiatem audimus, ubi Cleon, nobilitatem plane exiit, eadem arte Periclis, eadem Alciadiadis naturam iuduit.

Ultima haec iam ad eam partem huius libelli nos traduxerunt, in qua de arte disserendum est, qua Thucydides opus suum composuerit. Quae in compositione historiae exercenda est ars omnium primum, ut sit unum et simplex, quod componatur, flagitat. Id ut existat, scriptor in eo, quod sibi proposuit narrare, maneat necesse est. Thucydides id utique fecit. Quidquid enim a bello, quod scribere voluit, alienum erat, licet per se dignissimum esset, quod celebraretur, cum severitate a libro suo exclusit neque de artibus quidquam narravit neque de litteris, quae Athenis tum maxime florebant. Si vero in prooemio et in exordio multas res commemoravit, quae bello Peloponnesiaco longe antiquiores sunt, eo ab re proposita non aberravit; nam in illo ea ratione id fecit, ut magnitudinem, in hoc ut causas belli a se narrati demonstraret. In ea autem parte operis, in qua ipsum bellum Peloponnesiacum narratur, rarissime paullo longius ad alias res digressus est et nusquam omnino id fecit nisi eo consilio, ut rebus in bello Peloponnesiaco gestis aliquid lucis afferret. Omnia igitur, quae in quavis parte libri proposuit, uno quodam vinculo inter se coniuncta sunt, ut unum quasi corpus efficiant.

Jam nunc, quam curam adhibuerit, ut membra huius corporis et singulas res, quibus efficiuntur, in aptum ordinem redigeret, monstrandum est. Totum opus Thucydidis ex tribus partibus constat, apte ita collocatis, ut in prima de magnitudine argumenti agatur, altera causas, tertia historiam belli narrati contineat. Singulae autem res, quae eas partes efficiunt, in universum e temporum ordine compositae sunt. Etiam in praefatione vel prooemio, quod dici solet, ubi scriptor bello a se memoriae prodito omnia superiora vi et magnitudine postponenda esse confirmare conatur, argumenta, quibus id doceret, ita composuit, ut totum temporum consecutioni se accommodaverit. Eo magis mirum videri potest, quod in exordio historiae res proxime ad bellum Peloponnesiacum accedentes iis praemisit, quae longius ab eo recedunt. At cogitandum est, in hac parte operis non simpliciter facta tradi, sed causas

1) I, 22. 2) Boetticher Lex. Tac. proleg. pag. XXIX.

explicari; causae autem ea lege ordinari solent, quam Thucydides sequitur, ut ab iis, quae per speciem obtendantur, ad veras procedat explicatio. Simul autem ita Thucydides id assequitur, ut et statim in medias res introducantur lectores et elegantissime verae belli causae inter eas intercedant, quibus oratores in duobus conventibus Peloponnesiorum Lacedaemonios ad bellum decernendum impulerunt. — Extremam partem exordii si cum ea, quae antecedit, et cum rebus in prooemio propositis contuleris, facile videbis, Thucydidem, ut lectores ad res in bello Peloponnesiaco gestas penitus cognoscendas praepararet, ex superioribus aetatibus omnes insigniores res breviter perstringere voluisse, quibus principes civitates Graeciae paullatim in eas condiciones pervenerant, quae fuerunt, quum hoc bellum exarsit. Totam hanc materiam prudenter ita distribuit, ut antiquiora illa et a bello Peloponnesiaco longius remota in praefatione collocaret, ubi simul ad argumenti magnitudinem demonstrandam materiam praebent, ea vero, quae ad causas belli illustrandas pertinerent, in exordium historiae de eo scriptae reciperet, haec autem rursus in duas partes divideret, quarum altera loco supra commemorato, altera non minus eleganter inter duas orationes posita est, quibus utraque pars pugnantium, ut bellum susciperet, incitata est. Praeterea tali rerum dispositione id quoque efficitur, ut non plures orationes in unum locum conveniant, sed aptis intervallis distantes narrationem eleganter varient et distinguant. — In ipsius belli Peloponnesiaci historia Thucydides severe temporum ordinem servavit, ita ut omnia secundum singulas aestates et hiemes describat. Petita est haec descriptio ab ea ratione, qua illis temporibus bella gerebantur, quum aestate certare, hieme ad res proximo anno gerendas se parare solerent. Ipsam igitur veritatem hac ratione scriptor imitatur, neque ulla alia facile reperietur, qua et universi belli status, qualis quoque tempore fuerit, aequa perspicuitate appareat, et singula facta pro ea vi, quam alia in alia habuerunt, aptius possint collocari. Incommodum, quod inde effici dicunt, ut perpetuitas narrationis saepe interrumpatur et una res interdum in duas vel plures partes concidatur, quarum dispersa collectio legendi iucunditatem nonnihil imminuat, ex ipsius argumenti natura profectum est et in tanta varietate rerum eodem saepe tempore diversis locis gestarum, quanta plerumque fuit in bello Peloponnesiaco, omnino vix potuit evitari. Thucydidem tali rerum distributione non impeditum esse, quominus uno tenore narraret, ea pars historiae ostendit, in qua bellum in Sicilia gestum naturae suae convenienter continua narratione relatum est, quamquam eandem illam divisionem *κατὰ θερήν καὶ χειμῶνας* scriptor accurate servavit. Quantam vero diligentiam Thucydides cum severa hac accuratatione coniunxerit, ut suo quidque loco et in iusto lumine collocaret, in iis potissimum rebus cernitur, in quibus disponendis ipsi scriptori maior quaedam licentia concessa erat. Cuius diligentiae egregium exemplum Roscherus affert l. I. pag. 373, adnot., ubi iure hunc laudat, quod Niciae litteras non quo tempore scriptae, sed quo lectae sunt atque effectum habere coeperunt, proposuit.¹⁾ Similis elegantia non raro conspicua est in locorum descriptionibus, quales fere sunt in Thucydide. Solet enim hic scriptor terrarum aut urbium descriptiones non continuas rebus gestis praemittere, sed singulas earum partes ita disponere, ut quaelibet usui fuit et ad intelligendam narrationem lectoris animo praesens obversetur necesse est; maxime autem orationibus eas intexere studet, quo

¹⁾ VII, 10.

simul sequenti narrationi lucem afferant, simul oratoribus argumenta subministrent, quibus utantur ad comprobandas suas sententias.¹⁾ Ipsas autem orationes ut aptis locis disponeret, operam dedisse Thucydidem ex iis, quae de orationibus in exordio operis insertis breviter indicavimus, satis apparebit. Vide pag. 8.

Praeter unitatem et aptam dispositionem in compositione historiae desiderari debet, ut scriptor nullam partem operis iusto maiorem aut minorem reddat, in singulis autem rebus referendis aptum faciat discrimen, quaeque aliqua de causa ut accuratius tractentur digna sint, prae aliis efferat, quae aptius breviter exponantur. Magnitudinem prooemii si cum exordio et utriusque ambitus cum historia belli Peloponnesiaci comparaveris et hanc, ut ad finem perduceretur, tertia fere vel quarta parte maiorem fieri debuisse reputaveris, nullam ex his partibus iusto aut longiorem aut brevioram reddidisse scriptorem sine dubitatione concedes. In singulis autem rebus referendis id discrimen, quod faciendum esse diximus, re vera non neglexit Thucydides. Prooemium si hac quoque ex parte primo loco consideramus, in eo scriptorem ex superioribus temporibus gravissimas tantummodo res, quas proponeret, pro suo consilio mira arte collegisse et, ut decet in praefationibus, brevissime exposuisse reperimus, ita ut paucis capitibus omnem priscam Graeciae historiam comprehenderit. Prooemio aliquanto uberius scripsit exordium, et iure id quidem, nam propius hoc quam illud ad bellum pertinet, quod narrare voluit. Attamen cum ne ea quidem, quae in exordio narrantur, partem argumenti electi efficiant, omnino hic quoque parce Thucydides scribit et tantum summas rerum attingit. Minus hoc valet de bello Corcyraeo et Potidaeae defectione, quae occasionem dederunt ad foedera violanda ob eamque rem accuratius diligentia, qua explicantur, digna sunt. De duobus autem proeliis navalibus inter Corinthios et Corcyraeos factis si prius minus accurate scriptum est²⁾ quam secundum,³⁾ animadvertendum est, secundum proelium, cum Athenienses in belli societatem vocaverit, vel plurimum contulisse ad concitandum bellum Peloponnesiacum. — Etiam in iis, quae in bello Peloponnesiaco acciderunt, narrandis Thucydides summopere studuit, ut iustum semper et ad ipsas res et ad artis leges accommodatum modum teneret. Quod tamen cum hic longum sit singillatim de unaquaque re demonstrare, pauca sufficiat eligere, quibus appareat, quae fere rationes Thucydidem adduxerint, ut aut plenius aut parcius scriberet. Omnino ea potissimum accuratius explicata invenimus, quae per se magna vel atrocia fuerunt, velut expeditio in Siciliam facta, pestilentia, qua Athenae vexatae sunt, Meliorum et Plataeensium obsidio et interitus multaque alia. Huc non referenda est Sphacteriae expugnatio, quam Thucydides latius perscripsisse videtur non quia per se tam accurata diligentia digna, sed quia effectu tanta fuit, ut Lacedaemonios etiam ad foedera pangenda paratos faceret.⁴⁾ Alia de causa primam Lacedaemoniorum in Atticam excursionem accurata descriptione prae ceteris extulit, quamquam in his quaedam longe illa graviore fuerunt, ut ipse Thucydides testatur de secunda et quarta;⁵⁾ sed quae prima accidit, et initium belli fuit et maxime certe hominum animos bellicis rebus nondum adsuetos occupavit. Praeterea prima diligenter explicata, quae in sequentibus similia facta sunt, brevius absolvere itaque evitare potuit, ne taedium crearet lectoribus, quibus molestum certe esset, si de iisdem vel simillimis rebus, quoties evenerunt, toties eadem latitudine

1) cf. Roscher l. l. pag. 193. 2) I, 29. 3) I, 49 sqq. 4) IV, 15 sqq. V, 15. 5) III, 26.

mutatis ubi plurimum verbis exponeretur. Eadem de causa, quum de victis Mitylensibus convenissent Athenienses, unius tantum conventus orationes Thucydides in librum suum recepit. Quod vero hic non quae in priore, sed quae in altera concione habitae sunt orationes elegit, contra Dionysium Halicarnassensem¹⁾ bene defendit Poppo monens, superioris concionis decreta statim rursus sublata esse, alterius autem rata mansisse.²⁾

Ad artem compositionis quodammodo id quoque pertinet, ut auctor ad diversarum rerum, quae tractantur, naturam convenienter scribat; sed haec quum dictionis sit virtus, iam eo nos deducit, ubi de dicendi ratione agendum est. Thucydides tempore scripsit, quo paulatim Attica dialectus loco Jonicae, quae ante obtinuerat, in scriptis adhiberi coepta est. Qua de causa non solum eae vocabulorum formae, quae veteris Atticae dialectus propriae sunt, ab eo adhibentur, sed etiam in totam eius dicendi rationem iuvenilis huius linguae indoles praeter ipsius ingenium et rerum, quae aguntur, naturam plurimum valuit. Cernitur id — ut ab elementis orationis incipiamus — in vocabulorum iuvenili quadam integritate significationis. Etenim singulae voces nondum multo usu detritae ab ea significatione, in qua natae sunt, decesserunt, sed sua propria ac naturali potestate usurpatae sunt totamque suam atque integram vim habent in lectores, qua eos fere cogere videntur, ut id, quod significant, quasi sensibus percipiant. Accedit summa scriptoris in electione vocabulorum subtilitas, quae imprimis eo apparet, quod acutissime semper verba, in quibus propinqua vis est significationis, discernit, ut quasi statera, quid valeat unaquaeque vox examinavisse videatur; unde maxime saepe subtiles synonymorum, quae dicuntur, comparationes et oppositiones, quibus tantopere gaudet Thucydides. Subtilitatis studium interdum eum adduxit, ut etiam insolentiora et poetica vocabula adhiberet; neque enim ornatus causa orationi ea admiscuisse videtur, sed quia magis apta videbantur ad accuratam rerum significationem; quamquam nec ommittendum est, in recenti dialectu multa etiam in pedestri oratione sine dubio in vulgari usu fuisse, quae postea aut plane aboleverunt, aut solis poetis relicta sunt. Ex eodem subtiliter dicendi studio etiam magna quaedam Thucydides et frequentissima novas locutiones formandi cupido; ubi enim in ea, quae tum erat, vocabulorum copia non reperiebat verba, quae notionibus animo conceptis satis responderent, sine dubitatione et magna saepe cum licentia nova, quae subtilitati orationis plane satisfacerent, aut derivavit aut composuit. Etiam maiorem licentiam in structuris et compositionibus verborum novandis sibi vindicavit. Saepissime e. g. subtilitatis aut brevitatis causa contra solitum morem substantivis casus verborum, unde derivata sunt, aut adverbia ita adiungit, ut pro natura sua cum substantivis coniungi non solent, velut: *ἐπιχειρισμὸς τῆς χώρας*,³⁾ *κατὰ τὴν τῶν χωρίων ἀλλήλοις οὐκ ἀπόδοσιν*,⁴⁾ *τὴν αὐτὰ ἀνιδύτως δουλείαν*.⁵⁾

Maiores verborum in sententias compositiones si spectamus, ex his prae ceteris eas artificiose conformatas reperimus, in quibus elegantissima illa ars notiones distinguendi et opponendi a scriptore exercetur. Solent enim diversa earum membra cum venustate quadam inter se convenire, ita ut accuratissima, hic illic paene usque ad numerum verborum congruens partium aequalitas et symmetria quaedam efficiatur, quae prope ad metricam artem accedat. — In universum autem Thucydides non tam ut orationem aequi-

¹⁾ p. 848. ²⁾ Proleg. pag. 67, ed. mai. ³⁾ I, 122. ⁴⁾ V, 35. ⁵⁾ VI, 80.

